DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICA

DE

INCITAMENTIS MOTVVM NATVRALIVM EXTERNIS

QVAM
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. ORD. ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM
BEROLINENSIS SODALE SENATVS ACADEMIAE ELECTORALIS MO-
GVNTINAE SCIENT. VTIL. ASSESSORE ORDIN.
FACVLT. MED. H. T. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
RITE ATQVE LEGITIME IMPETRANDIS

DIE MAII MDCCLXV.
H. L. Q. C.

DEFENDET

GEORGIVS WILHELMVS RACH
STOLPA-POMERANVS.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM,
TYPIS IO. CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
MEDICA

DE

INCITAMENTIS MOTVVM NATVRALIVM EXTERNIS.

PROOEMIVM.

Aliquot abhinc menſibus in Diſſertatione quadam, publice ventilata, *Incitamenta Motuum naturalium interna*, quæ altius poſt adſumtionem in corpus penetrant, et perenni humorum circuitu ad intimiores ejusdem receſſus, vel tota ſubſtantia ſua, vel quoad ſubtiliorem tamen mobilioremque partem activam, deferuntur, ea,

qua fieri potuit, brevitate expoſui et alio rurſus tempore *Externa* pariter huius cenſus remedia memet exhibiturum eſſe, pollicitus ſum. Exequar nunc, quae promiſi, et absque ulteriori prologo praecipua ac notiora illorum genera adducam, et ea, quae circa naturam eorum, modum operandi, virtutes atque uſum ſcitu neceſſaria judico, ubiuis tamen ſervata priori methodo compendiaria, evolvere conabor.

MOXIBVRIVM.

§. I.

Moxiburium ad cauteria actualia ſpectat, et uſitatiſſimum in China, Iaponia, pluribusque Indiae orientalis regionibus ægritudinum variarum remedium eſt. Peragitur haec uſtio, vel, ſi dicere mavis, inuſtio accenſa tenera quadam ac molliuſcula ſtupa ſive lanugine, quae *Moxa* dicitur, ac, referente KAEMPFERO *a*), ex planta notiſſima, ſpontanei atque uberrimi in China et Japonia proventus, ex ſiccatis nempe aridisque foliis *Artemiſiae vulgaris latifoliae* absque ſingulari artificio praeparatur. Tempore nimirum matutino herba memorata, eaque novella paullulum ac rore adhuc madens, reſcinditur, et libero aere tamdiu ad faciem domus occidentalem ſuſpenditur, donec ſufficienter exſiccata ſit, deinde in ſummo aedium pavimento diu, et ſubinde ad decennium usque, aſſeruatur, quoniam eo tenerior atque nobilior lanugo ex ea ſeparari poteſt, quo magis obſoleverit Ad moxæ autem præparationem ſola, uti dictum, folia recipiuntur, ac primum piſtillo ad ſtupae rudioris mollitiem tunduntur, deinde

a) *In Amoenit. exot. Faſc. III. p. 592. ſequ.*

de vero manu utraque assidue agitantur ac fricantur, ut contusione præcedente attritis cauliculi ac fibrae duriores penitus paullatim decedant, et cuncta lanugini implicita frustula membranacea ac fibrillaria excutiantur. Lanugo superstes et dicto modo, quin ipsa postmodum pectinatione, ad perfectam puritatem, mollissimamque ac plane homogeneam carminati gossypii teneritudinem redacta, cinereo colore est, ignemque facillime concipit, qui, leni ardore minusque conspicua scintilla, lente progreditur, nec glifcere desinit, usque dum stupa accensa in favillam tota conversa sit.

§. 2. Tempore usus ex stupa seu mollugine laudata parvi coni, apice acutiori, basi latiore præditi, pisumque majus aut minus sua magnitudine circiter æquantes, digitis formantur, et cuti, saliva antea nonnihil humectatæ, impositi, tenui bacillo, ex cera pura, aut hac et fragrantibus resinis &c. parato, vel ardente quadam virgula, aliove flammæ ignisque subiecto in apice accenduntur. Ignis, a fastigio sensim placideque descendens, turundulam hanc intra breve tempus depascit, et, cutem attingens, spadiceam, aut fuscam, aut saltim cineritiam maculam producit. Macula haec seu stigma post inustionem ordinario, tum ad dolorem, qui sub prima tamen ustione satis tolerabilis esse dicitur, leniendum, tum blandam suppurationem promovendam, allio contuso et desuper ejusdem corticis lamella, in ore paullulum madefacta, contegitur, die sequenti autem vesica, circum circa forsan enata, forfice minutiori aperitur, et escharæ allii loco folium plantaginis leniter tostum manibusque nonnihil frictum, ut mollescat, asperiori seu fibrilloso suo latere, tandemque latere glabro ac molliori, vel etiam folium brassicæ, hederæ, tussilaginis, betæ &c, immo, deficientibus hisce, emplastrum sticticum Paracelsi, basiliconis, diapalmæ &c. adplicatur, ut eschara paullatim

 fece-

ſecedat, et poſtea pariter exortum ulcuſculum conſolidetur. „Non præcipitanda tamen eſt, ſecundum WILHELMI ten RHYNE monitum *a*), eſcharæ ablatio, etiamſi „plagulæ leviſſime tantum adhæreat, ſed naturæ committendum illud opus, neque ſiſtendus eſt ſaniei fluxus; „neve globulorum introductione excitandi ſunt fonticuli; „ſuopte exeat, quantum velit, udor. Quare diutius „illa folia fibrilloſo latere ſuper eſcharam retinenda ſunt, „quia ſic inſanum ichor liberius effluit; verum parte glabra non ita diu, quia tunc nimis cito vulnuſculum conſolidant; ſervanda igitur ſuper plagam nervoſa foliorum „facies, et, ne illa decidant, obliganda, vel conglutinantibus emplaſtris, ſi ligaturas non ferat plaga, detinenda, „atque minimum bis viginti quatuor horarum ſpatio renovanda ſunt. &c.

§. 3. Incolæ Chinæ atque Iaponiæ, ſicuti initio dudum retuli, moxiburium hoc tanti æſtimant, tantamque in eo fiduciam collocant, ut iſtud contra morbos multos ac varios, maxime autem contra affectus arthriticos atque rheumaticos, apud adulta non minus quam puerilia ſexus utriusque ſubjecta, creberrime, nec raro vice, intra breve tempus in eodem loco iterata, in uſum trahant, quin ſæpe etiam ſæpius ſolo duntaxat præſervandi ſcopo, tanquam optimum et propemodum univerſale ægritudinum prophylacticum, adhibeant. Vix allegatus WILHELMVS ten RHYNE remedium hoc poſt primum adventum ſuum in Indiam orientalem flocci pendebat, nec adeo multum illi virtutis tribuebat, deinde vero, non vulgarium tamen præjudiciorum vortice abreptus, ſed frequenti obſervatione felici coactus, honorifice admodum de illo ſentire coepit, idemque in arthritide pluribusque morbis chronicis et refractariis magnopere deprædicavit. „Mirabar primum, *in citata Diſſertatione ſcribit a*), „immo

a) In *Diſſertatione de Arthritide p. 114.* *b*) *pag. 106.*

„immo ferme deteſtabar, inſolitam Europæis medelam, „donec tandem ſucceſſu iterato convictus utiliſſimæ me„thodo patrocinarer ipſemet. Tum demum aſſenſi firma„tæ multifaria experientia monitorum venerandi admo„dum viri D. HERMANNI BVSHOVII (cum quo identi„dem de hac medelæ ratione ſerio contuli) fidei; ille „quippe, quod mihi tum etiamnum inſolens videbatur, „vilipendebat contumacem alias articulorum morbum, ex„perientiam provocans teſtem, et in ſe ipſo aliisque ex„empla producens varia, mihique illuſtria re ipſa com„monſtrans; quinimo dum lethi minace grauiter decum„beret febre, vitalium virium prædone, ſæpius, me præ„ſente, exoptavit, ut Arthrididis inſultu, tametſi atroci, „invaderetur, atque tum de morbi eventu viriumque ro„bore non modo melius ſe ſperare, ſed certum eſſe, cre„didit, mihique poſtmodum in aliis compertum eſt: At„tamen primo ambiguus hæſi, donec tandem apud Iapo„nes exemplorum myriades coram conſpicerem, vix enim „aliquis Iaponenſium, qui hujus rei non fecerit pericu„lum, veritatemque in ſemetipſo non comprobarit, in „omnibus morbis a flatibus, ut nos opinamur, vel, ut „Authores noſtri docent, a frigida pituita oriundis. Ex„cludit R. D. Bushovius affectiones oculorum, ſed ma„le; namque in illis etiam urunt cum ſua *Moxa* Japones; „verum herbaceas illas ſtupas in nucha, vel ſuper ſcapulas „collocant &c.

§. 4. Auctori allegato KAEMPFERVS, CLEYERVS *a*), pluresve alii, qui teſtes ſuſcepti moxiburii oculati fuerunt, non promiſcue tamen, ſed cum prudenti hinc inde encomiorum moderatione, ſuffragantur, ſuisque relationibus multiplicem et in calidioribus potiſſimum regionibus ſatis ſubinde eximiam utilitatem ejus confirmant; addit tamen KAEMPFERVS, Chinenſium ac

a) Vid. paſſim *Ephemerides Acad. Nat. Curioſ. Germ.*

ac Iaponenſium medicos longe ſæpius hoc remedio ad præſervationem, quam curationem morborum uti. „Urunt indiſcriminatim, *ſic verba ejus ſonant a)*, infantes „et ſenes, divites et plebejos, mares et foeminas, par- „cunt tamen gravidis illis, quæ vſtioni non admodum aſ- „ſuetæ ſunt. Uſtio autem artemiſialis vel ad morborum „præſervationem, vel ad curationem inſtituitur; ad præ- „ſervationem eam præprimis commendatam volunt Me- „dici, et ſanos potius, quam ægros uſtulandos jubent: „ſicuti enim, ajunt, materiam medicam morbi præſentis, „ita futuri pharmacum eſſe cauterium. Qui igitur in ex- „timo oriente ſuæ valetudini proſpiciunt, ii uri ſe ſingu- „lis curant ſemeſtribus. Ea conſuetudo adeo religioſe „viget, ut etiam hominibus, æviterno carcere damnatis, „prodire permiſſum ſit, ad moxiburii fruendi beneficium. „Praeſervativa uſtio turundis in eodem loco abſolvitur „parvulis et paucioribus, curativa vero plures requirit, „easque grandiculas, ſi vapores ex profundo latice evo- „candi ſunt &c.“ Incendenda turundula, quod addere expedit, pro diverſa morborum imminentium aut prae- ſentium natura ac ſede primaria modo huic, modo illi corporis parti, frequentiſſime tamen dorſo, utrinque pro- pe ſpinam ad lumbos usque, imponitur, ubivis tamen partes valde tendineæ atque nervoſæ, nec minus arteriæ ac venæ majuſculæ, quæ moxiburium non patiuntur, ſtu- dioſe vitandæ ſunt. In officinis eorum, qui in prædi- ctis regionibus uſtiones ordinario peragunt, teſte laudato *ten* RHYNE *b)*, effigies ſeu ſimulacra, ex ligno ſculpta, proſtant, diſtinctis variegati coloris punctis ſignata, qui- bus loca ſingula, cum moxa tuto atque utiliter, tum præ- ſervandi, tum curandi fine, inurenda, ita monſtrantur ac diſcriminantur, ut moxiburium etiam artis tyrones, immo alii, ejusdem antea plane ignari, rite, vel abs-

que

a) L. c. p. 594. b) Diſſ. de Arthritide p. 126. It. in *Præfatione de Acu- punctura.*

que graviori tamen læſione, in morbis variis inſtituere valeant.

§. 5. Medici prædictarum pluriumque regionum orientalium inquilini originem ac geneſin plerarumque ægritudinum hoſtili cuidam materiæ vaporoſæ ſeu flatuoſæ, in partis affectæ canalibus ac cavitatibus coacervatæ et incarceratæ, tribuunt, eamque per moxiburium evocari, opinantur: Verum enim vero, ſententiam hanc, ætiologia iſta promiſcue ac fere univerſaliter admiſſa, imaginariam falſamque eſſe, et præcipuam potius auxilii rationem ad motuum in ſolidis et fluidis augmentum redire, arbitror. Nam ſtimulo valido, ſub aduſtione partibus ſenſibilibus et irritabilibus mediate aut immediate illato, contractiones et oſcillationes ſolidorum egregie ſuſcitantur, et adeo intenduntur, ut iſta nonſolum humores ſinceros et adhuc fluidos velocius propellant, ſed pituitoſos etiam aliosque craſſos et impuros, qui refractaria ſtagnatione ſua et incongruo decubitu canaliumque oppilatione multos ac varios morbos producunt, auctiori preſſione attenuent rurſum, et ad naturalem progreſſum reducant, quin paſſim etiam per apta emunctoria e corporis limitibus ejiciant. Non negabo cæteroquin, ſed ita ſentientibus lubentiſſime largiar, inuſtione peracta et eſchara remota, ſuccedenti et ante uſcuſculi conſolidationem aliquandiu perduranti impuri ichoris effluxui aliquam pariter auxilii partem deferendam eſſe; ſemper nihilominus certo manebit certius, inſequentes effectus ſalutares ab aucto motuum vigore potiſſimum pendere. Ipſi medici Chinenſes ac Iaponenſes veritatem hanc quodammodo introſpexiſſe videntur, quoniam moxæ adplicationem non tantum apud feminas primo, ſecundo, et tertio graviditatis menſe, ſed etiam in paroxyſmo febrium intermittentium, nec minus in febribus continentibus atque continuis, quamdiu illæ typum ſervant, vel exacerbationes cum ſuis accidentibus patiuntur, interdicunt. *a)* B §. 6.

a) Conf. *ten* RHYNE *L. c. p. 115. ſequ.*

§. 6. Multiplex cauteriorum actualium utilitas, quod recensitis adhuc necessario subjungendum duco, non solis Chinensibus ac Iaponensibus innotuit, sed diversarum quoque gentium medici celebriores commoda, satis subinde insignia, a prudenti ac tempestivo ustionum usu exspectanda, agnoverunt, et crebro igitur durum hoc remediorum genus non suaserunt solum in scriptis suis, sed ipsi etiam persæpe ad profligandos morbos varios, eosque chronicos inprimis, contumaces et curatu difficiliores, cum fructu haud spernendo, quin valde nonnunquam egregio, in usum traxerunt. Non usi quidem fuerunt moxa orientali, quæ veteribus ignota fuisse videtur, sed alia ustionis subjecta, fungos nimirum arborum arefactos ac paullulum tundendo emollitos, spongiam itemque, linum crudum, in lori formam contortum, funiculos igniarios, paniculas lineas, cotone circumvolutas, vel, sicuti adhuc hodie apud Aegyptios solenne est *a)*, turundas pyramidales, ex stupa linea et cotonea paratas &c., quin ipsa persæpe *ferramenta ignita* adhibuerunt. HIPPOCRATES, quod passim ex *Operibus* ejus constat, inustiones contra multos morbos commendauit, easque tanti fecit, ut iisdem primum locum inter heroica ægritudinum quarundam auxilia assignare non dubitaverit. „Quæ„cunque, *inquit b)*, non sanant medicamenta, ea ferrum „sanat. Quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat. Qvae ignis „non sanat, ea incurabilia putare oportet &c. Hippocratem GALENVS, CELSVS, AETIVS, M. A. SEVERINVS, WILLISIVS, LANCISIVS, DOMINICVS MASTICHELLI pluresve alii, tum prisci, tum recentioris ævi, secuti sunt. Auctor postremus, cui LANCISIVS, crebriori experientia convictus, suum quoque calculum adjecit *c)*, ustionem cum ferro ignito summopere inprimis in adfectibus soporosis gravissimis et apoplexia, præsertim

a) Vid. PROSP. ALPINVS *Lib. de Medicina Aegyptiorum.*
b) *Aphorism. 6. Sect. 8.* *c)* *Lib. 2. de Mort. subit. 5.*

ſertim ſeroſo-pituitoſa, depraedicavit, et meliorem quoque inurendi methodum in peculiari *Libello de Apoplexia Romæ 1708. patrio ſermone edito*, patefecit. Non inuritur enim in morbis memoratis, uti olim plerumque fieri ſolebat, ſutura cranii coronalis, ſed ferrum candens medio plantæ pedis loco, inter calcem et partem eminentiorem, ubi plures fibræ nervoſæ, tendineæ et membranaceæ coeunt, maximamque ſenſus teneritudinem efficiunt, imprimitur, et eſchara deinde illito butyro recenti, aut oleo lini, aut unguento dialthææ &c. emollitur, donec cruſta ſecedat; qua ablata, ulcus melle roſarum, cum ſpiritu vini mixto, vel unguento quodam digeſtiuo mundificatur, ſenſimque conſolidatur.

§. 7. Expoſitis uſtionum ſpeciebus, cum ferramento aut alio corpore ignito peragendis, quodammodo etiam *Complanatio capitis cum inſtrumento lotricum* atque *ſartorum calefacto* adjungi meretur. Auxilium hoc, quod prius abraſis capillis adhibetur, præcedentibus quidem mitius eſt, in apoplexia nihilominus, adfectibus ſoporoſis, cophoſi, hemicrania, pluribusque cephalalgiæ ſpeciebus refractariis opem perſæpe eximiam præſtat, quoniam calore et blando inprimis inſtrumenti motu non tantum fibræ integumentorum capitis, ſed ipſa etiam filamenta duræ matris membranacea atque nervoſa, per ſuturas trajecta, ad vegetiorem rurſus, motum oſcillatorium, et hujus beneficio ſubſiſtentes pariter humores ad priſtinam circuli libertatem rediguntur.

SCARIFICATIO ET ACVPVNCTVRA.

§. 8. Scarificatio, vel rectius ſcarifatio, præteritis temporibus apud ſanos et ægros, adeoque ad præſervandos non minus, quam curandos morbos, frequentiſſime medentium ſuaſu adminiſtrata fuit; unde valde

omnino mirandum est, quod nostro ævo usum paullo rariorem inveniat. Eximium sane et heroicum auxilium chirurgicum est, phlebotomiæ sæpe præferendum, quoniam ope ejus non tantum notabilis cruoris, admodum subinde viscidi, impuri, acris ac pertinaciter quiescentis, copia, præsertim si parti, inflictis numerosis leuibusque cutis incisuris sauciatæ, cucurbitæ imponantur, ex angustissimis vasculis educi, sed motus pariter oscillatorius atque contractio in solidis, et hisce mediantibus progressus atque circuitus humorum egregie rursus excitari et intendi, refractariæ canalium minutissimorum oppilationes reserari, et utilissima nonnunquam ac necessaria sanguinis cæterorumque liquidorum revulsio aut derivatio procurari possunt. Ob varium igitur hunc opitulandi modum crebro sese atque egregie in adfectibus paralyticis, rheumaticis, arthriticis, et variis ophthalmiæ sanguineæ speciebus, in pruritu itemque cutis scorbutico, gutta rosacea, varis, odontalgia, otalgia et angina commendat, immo in comate somnolento, caro, lethargo, apoplexia, tam seroso-pituitosa, quam sanguinea, vertigine, epilepsia, cephalea, hemicrania, phrenitide, et hydrocephalo externo pluribusve ægritudinibus, a vario cruoris vitio potissimum derivandis, multum haud raro ad faustæ medicationis successum confert.

§. 9. Ordinario quidem hæc operatio, si postmodum cucurbitularum adplicatio proficua ac necessaria judicatur, in dorso, lumbis, suris et brachiis instituitur, subinde nihilominus in nucha pariter, occipitio, genis, gingiva, palpebris, quin ipsa nonnunquam tunica albuginea, cum fructu insigni administratur. De *scarificatione occipitis* anno 1741. doctissimus quondam Lipsiensium Professor, AVGVSTVS FRIDERICVS WALTHER, de *oculorum scarificatione* autem notissimus pariter et post obitum adhuc celeberrimus IO. ZACHARIAS PLATNERVS

NERVS peculiarem Dissertationem academicam edidit *a)*, et prior praestantiam huius operationis validamque auxiliandi facultatem in affectibus capitis praeternaturalibus, posterior in variis oculorum morbis prolixe solideque monstravit ac demonstravit. Quae WALTHERVS proposuit, specialius hac vice attingere nolo, ac saltim ex PLATNERI dissertatione nonnulla, quae utilitatem concernunt, huc transferam: „Quod tandem, §*pho* 18. *scri-* „*bit*, ad efficaciam et usum, quem male affectis oculis im„pertitur haec scarificatio, attinet, illa in triplicem finem, „ut alii sanguinem mittendi modi, a Medicis et Chirur„gis suscipitur. Evacuationis nempe, derivationis et re„vulsionis causa. Sanguis, aliique humores, in palpe„bris stagnantes, ex iisdem evacuantur, quando illae, in„flammatione correptae, tument ac turgent. Certam et „celeriorem medelam affert illi inflammationi, quae saepe „chirurgi, pannum, seu pterygium exscindentis, hypo„pyum aperientis, staphyloma reponentis, aliaque ocu„lorum vitia efficaci medicina curantis, manibus et instru„mentis excitatur. Quando gravior ophthalmia ex cor„poris vitio oculos corripit; id quod in chemosi fieri, „observamus, nihil est, quod illi celerius mederi possit, „quam repetita haec scarificatio, quae non palpebris so„lum, sed, urgente necessitate, adnatae adhibetur. Ita „tamen in hac re prudens medicus versari debet, ut et „aliis auxiliis fontes mali oppugnet. - - - Rarius, „*pag.* 66. *pergit*, eum in finem nostra chirurgia exercetur, „ut humores ad oculorum organa invitentur, et, ut me„dici loquuntur, deriventur. Hoc tamen fieri potest, „quando ex nervorum solutorum vitio palpebrae diffici„lius moventur, et imbecilliori sensu torpent. Nostra „enim ξύσις non sine doloris sensu admodum exquisito

 „perfi-

a) PLATNERI *Dissertatio*, quae primum 1728. Lipsiae prodiit, anno 1749. iterum cum aliis opusculis ejus, conjunctim editis, recusa fuit.

„perficitur, qui ad revocandam ſentiendi ac movendi po-„teſtatem, et ad humorum etiam motum, aliquid facere „poteſt. - - - Revulſio tandem, qua mediante humores „pernicioſi a nobilioribus partibus ad alias, et loca, ex „quibus foras ejici poſſunt, revocantur, noſtræ inprimis „chirurgiæ miniſterio obtinetur. Supra dictum fuit, ex „illa palpebarum interiores tunicas ſuppurare. Conſtat „vero, in ſanguinea et acriori ſeroſa rheumatica ophthal-„mia certiſſimam ſpem futuræ ſanationis nobis affulgere, „quando lachrymæ tenuiores, limpidæ, rodentes in glu-„tinoſam ſaniem mutantur, et tarſi palpebrarum ex his „ſordibus craſſioribus ſub ſomno ſibi agglutinantur. Hoc „vero optime noſtra chirurgia obtinemus, qua, et ſince-„rus ſanguis, et in pus mutatus, exprimitur, et humores „cauſtici a cornea et interioribus oculi partibus ad palpe-„bras perducuntur, et, cum pure mixti, excernuntur &c.

§. 10. Scarificationi valde affinis operatio *Acu-punctura* eſt, in Europæis quidem regionibus inter auxilia medica, quantum mihi conſtat, nondum recepta, apud Chinenſes tamen, Japonenſes, pluresve gentes orientales, æque ac Moxiburium, uſitatiſſima. Locum inter potentiora pariter motuum incitamenta occupare eam atque tueri, nec ſua igitur laude defraudandam eſſe, arbitror, etiamſi haudquaquam defendere audeam, quod tantos ſemper effectus, quantos populi memorati ab adminiſtratione ejus in multis morbis exſpectant, præſtare valeat. Adhibetur ad peragendam hanc operationem acus aurea, rarius argentea, eaque tenuis, longa, acuta, perpolita, et tortuoſo ſeu cochleatim fabrefacto manubrio inſtructa, et ipſa punctura, ſecundum ſæpius laudati WILHELMI *ten* RHYNE relationem *a)*, ſequenti modo ſuſcipitur: Acus memorata in partem affectam vel ſimplici ſaltim punctura, vel contorſione, indicis pollicisque apicibus perpe-

a) Diſſ. cit. p. 184. ſeqv.

perpetranda, vel leni cum malleolo, ex ebore aut ebeno aliove ligno duriore confecto, impulsu, leviuscule tantum, nec facile ultra digiti lati profunditatem adigitur, et deinde, si patiens scilicet ferat, per dimidium circiter aut integrum horæ minutum in vulnusculo detinetur, vel citius etiam, si æger dolorem diuturniorem pati nequeat, extrahitur, et punctura iterum iterumque, et pro diversa quidem ægritudinis contumacia bis, ter, quater, immo quinquies, sexiesve, reiteratur. Ne acus etiam, quod addere juvat, sub operatione justo altius in partem pungendam penetret, illi, qui minus exercitati sunt, simul canalem æneum, acu paullo breviorem, recipiunt, qui ita factus est, ut acus in eum immitti, ac melius, ad nimis profundam puncturam præcavendam, dirigi possit; quemadmodum plura de hisce ac præcedentibus apud KAEMPFERUM *a)* atque *ten* RHYNE videnda sunt. Notari præterea debet, acum apud ægros adultos senioresve, nec minus apud carnosos atque pingues profundius, quam apud juniores, imbecilles, teneros ac macilentos, et altius pariter partibus musculosis, quam magis nervosis, immo altius denique in gravioribus, quam levioribus morbis imprimendam esse: Nec porro etiam penitus oportet ignorari, ægrum nunquam ventriculo repleto, sed semper jejuno pungendum esse.

§. 11. Punctura hæc infimi inprimis atque supremi ventris morbis mederi dicitur, et Chinenses ideo ac Japonenses eam, teste prædicto Auctore, creberrime contra cephalalgiam, epilepsiam, soporem, apoplexiam, vertiginem, oculorum lippitudinem atque suffusionem, gravedinem, spasmum cynicum, tetanum, emprosthotonum, episthotonum, anorexiam, melancholiam hypochondriacam, tormina ventris, choleram, diarrhoeam, dysenteriam, dolores colicos, hystericos, rheumaticos et arthri-

a) Lib. cit. Fasc. III. p. 582.

arthriticos, inflationem testiculorum pluresve morbos, præsertim eos, quos gentes nominatæ a flatibus productos credunt, in usum vocare solent; ita quidem, ut semper istam partem, si naturalis situs conditio permittat, pungant, ex qua, juxta dogmata sua medica, morbus originem trahit, quamque ignaris, æque, ac apud moxiburium, simulacra, ex ligno fabrefacta, punctisque notata, monstrant.

§. 12. Inter morbos recensitos, quorum curationi acupunctura inservire traditur, multi occurrunt, qui in manifesta motuum insolentia consistunt, et nonnullis ideo mirum videbitur, ad profligandos eos validum ejusmodi motuum incitamentum commendari: Verum enim vero, si omnes circumstantiæ rite perpendantur, nec solius in illis caussæ immediatæ atque formalis, sed etiam causæ originalis, ut et mediatæ ac materialis ratio habeatur, facile adparebit, medelam hanc principiis medicis minime refragari. Non intendunt enim congrua ejusmodi incitamenta motus præternaturales, sed naturales tantummodo partium solidarum contractiones suscitant atque ita augent, ut ope earum, sicuti supra dudum retuli, humores impuri, viscidi, acres, qui, adcumulati, subsistentes, canalibusque tenacius impacti, pressione sua ac stimulo spasmis et convulsionibus sæpissime occasionem largiuntur, ad decentem rursus circuitum reducantur, quin utili nonnunquam revulsione aliorsum, ubi commode sensimque eliminari possunt, transferantur.

PHLEBOTOMIA.

§. 13. Phlebotomia sive venæsectio vulgo in *evacuatoriam*, *derivatoriam* et *revulsoriam* dividitur. Binæ priores species semper, sive effectus earum, sive scopus medici rationalis spectetur, ad ista artis salutaris auxilia

jure

jure meritoque revocandæ ſunt, quæ torpidas partium ſolidarum contractiones, torpidumque humorum circuitum, ſi opportune ſcilicet et præſentibus certis circumſtantiis in uſum trahantur, liberiores rurſum celerioresque reddunt; poſtrema autem hiſce, non communis quidem ſeu generalis effectus, ſed ſolius tantum ſcopi intuitu, contraria reperitur, ſeu rectius, ad motuum incitantia ſimul ac deprimentia medicamina ſpectat, quoniam impetum ſanguinis ab hac vel illa parte, quæ antea eum ſola, vel tamen præcipue, ſuſtinere coacta fuit, magis minusve avertit, et ad alias partes, easque remotas minusque affectas, avocat, ſeu aliorſum, ut ita loquar, transfert.

§. 14. Apud venæſectionem mere evacuatoriam, cujus adminiſtratio nunquam, niſi vera plethora præſente, ſuaderi debet, dictorum veritas manifeſta eſt, nec operoſa igitur demonſtratione indiget. Suſcepta enim phlebotomia, cruor, qui excedente mole ſua, indeque oriunda juſto majori denſitate, gravitate, preſſione ac reſiſtentia impellentes partes ſolidas valde debilitat, et naturalem contractionem earum non tardiorem ſolum, ſed etiam imperfectiorem efficit, minuitur, rariorque evadit, et cor ideo atque arteriæ, detracto onere memorato, ſeſe fortius rurſum atque velocius contrahunt, et ſic ipſum quoque ſanguinem indeque ſecedentes humores ſeroſolymphaticos per corpus univerſum vegetius circumpellunt. Unde unumquemque etiam haud difficulter cogniturum ſpero, effectum phlebotomiæ evacuatoriæ pro diverſa ſanguinis in corpore copia valde diverſum eſſe, et motuum vivacitatem cum univerſi corporis robore poſt venæſectionem modo increſcere, modo decreſcere. Increſcunt nempe vigor ac robur corporis, quando, imminuta excedente cruoris copia, juſtum niſus ac reniſus æquilibrium inter partes ſolidas et fluidas, ſeu juſta inter vires pellentes ac reſiſtentes proportio reſtituitur, de-

 creſcunt

crescunt ex adverso, quoties corpus, intempestive administrata phlebotomia, ac nulla prorsus præsente plethora, sanguine utili, ad sufficientem in corde et arteriis resistentiam, ad motum porro muscularem, et ad fluidi spirituosi aliorumque humorum laudabilium secretionem necessario, spoliatur.

§. 15. De effectu phlebotomiæ derivatorio ac revulsorio medicorum aliqui dubiam fovent sententiam, immo nonnulli eundem prorsus negare ausi fuerunt: Verum enim vero, utrumque rationi non minus, quam experientiæ consentaneum esse, h. e., largiorem celerioremque sanguinis affluxum ad hanc vel illam partem, quæ majori liquidi hujus vitalis copia, aut velociori tamen ac vegetiori influxu atque transitu indiget, venæsectione procurari, et contrario pariter scopo, partes, exsuperante, aut impetuosius tamen intrante ac transeunte cruore oppressas, phlebotomia, in loco congruo instituta, liberari, impetumque sanguinis atque celeritatem nimiam aliorsum avocari posse, omnino cum rectius sentientibus adfirmandum censeo. Nam extra omne dubium positum est, 1) sanguinem ex arteriis immediate in venas, per anastomosin cum prioribus connexas, fluere, 2) sanguinem, in venis contentum, sanguini, ex arteriis connexis in illas influenti, resistere, 3) fluida, ac quævis corpora alia, in motu constituta, lentius, si resistentiam inveniant, et celerius ex adverso, si nullam vel comparative tamen minorem resistentiam patiantur, moveri, 4) imminuta aut plane sublata resistentia, motus celeritatem increscere, 5) sanguinem in vena incisa, durante effluxu, pondere suo ad radices venæ longe minus premere, adeoque longe etiam minus sanguini, ex arteria ipsi continua adfluenti, resistere, quam ante et post venæsectionem, et sanguinem igitur, 6) non tantum in vena secta, sed per aliarum quoque partium venas, quæ

cum

cum trunco arteriæ, venæ incisæ continuæ, arctiorem originis intuitu connexionem habent, velocius, in illis autem partibus corporis, quarum venæ cum trunco arterioso, arteriæ trunco, venæ incisæ anastomosi ramificationum continuæ, opposito, connectuntur, tardius, durante sanguinis per inflictum foramen effluxu, moveri.

§. 16. Memorata Dn. D. SAMVEL RAYMANN in Dissertatione sua inaugurali, quæ anno 1738. Halæ sub Titulo: *Dissertatio inauguralis medica, qua præjudicatæ quædam de Venæsectione opiniones expenduntur*, prodiit, ibidemque etiam, Præside B. IO. HENRICO SCHVLZIO, publice habita fuit, uberius exposuit; quare nonnulla, quæ specialem prædictorum adplicationem respiciunt, inde excerpere et hic subjungere a scopo meo haud alienum fore existimo: „Juvabit priorem propositionem, §. *37. pag* 19. *scri*„*bit*, exemplo illustrare. Sit e. g. cephalalgia intolera„bilis a congestionibus sanguinis, id est majori ejus im„petu in caput, esto hic morbus per missionem sanguinis „tollendus, tunc certe non perinde erit, ubicunque vena „secetur. Pone enim brachii venam medianam secari, „ergo sanguis durante Venæ Sectione dato tempore ma„jori quantitate et celeritate movebitur, non tantum per „arterias axillares, cum quibus vena basilica et cephalica „(ex quarum concursu mediana oritur) per anastomosin est „connexa, verum etiam per arteriam subclaviam et arcum „adscendentem aortæ, a quo tanquam trunco arteriæ „axillares oriuntur; ergo etiam per arterias carotides, „quarum interna sanguinem ad caput proxime vehit. Er„go sanguis majori quantitate et celeritate ad caput fer„tur, facta in brachio venæ medianæ incisione; hinc et „majorem impetum in caput exercebit: quapropter per „talem Venæ Sectionem morbus exasperabitur, et cepha„lalgia fortior evadere debet. Secetur autem vena cru„ralis e. g. saphæna, tunc sanguis majori celeritate et

 quan-

„quantitatate influet in arteriam cruralem, quæ per ra-
„mos ſuos, cum ramis venæ ſectæ cruralis in anaſtomoſin
„abeuntes, venæ ſaphænæ eſt continua, ergo majori
„quoque velocitate et quantitate moveri debet per trun-
„cum deſcendentem aortæ, cujus ramus eſt arteria crura-
„lis, minori itaque per arcum adſcendentem aortæ ejus-
„que ramos, arterias nempe carotides, eſt enim truncus,
„cujus ramorum nulli vena ſaphæna eſt continua. Ergo
„per Venæ Sectionem in pede minor impetus ſanguinis
„ad caput obtinetur. Ergo cephalalgia, ſi non penitus
„tolletur, minimum valde mitigabitur. Sit morbus,
„*§pho 38. pergit*, per Venæ Sectionem tollendus in parte
„quadam inferiori a majori impetu ſanguinis, qui ibi præ
„aliis partibus exſeritur; tunc per Venæ Sectionem in
„parte ſuperiori obtinebitur determinatio impetus ſan-
„guinis a parte affecta inferiori ad ſuperiorem. &c.

RVBEFACIENTIA VESICATORIA ET VRTICATIONES.

§. 17. Rubefacientia medicamenta ſunt, quæ, ſub forma ac conſiſtentia cataplaſmatis mollioris aut emplaſtri adplicata, morſicatione ſua aut fortiori quodam pruritu, leni ardore mixto, ruborem et dolorem in cute excitant, ac jure igitur meritoque inter iſta incitamenta collocanda ſunt, quibus oſcillatio atque contractio fibrarum et vaſculorum in cute ac partibus proxime ſubjectis egregie reſuſcitantur et augentur, ac harum poſtmodum ope non affluxus tantum humorum largior et progreſſus eorum velocior redditur, ſed ſenſus quoque et calor naturalis, ſi valde imminuti, aut aliquando penitus propemodum ſublati fuerint, revocantur et intenduntur. Hinc maxime etiam in adfectibus membrorum paralyticis conducunt, et ſubinde pariter, revellendi ſcopo, ſi nuchæ nimirum ſub emplaſtri forma imponantur, contra hemi-

craniam

craniam, cephalæam, vertiginem, soporem præternaturalem, epilepsiam, insaniam, susurrum aurium, ophthalmiam serosam, lippitudinem humidam pluresve encephali, oculorum, aurium, dentium ac faucium morbos, cum fructu haud spernendo, in usum trahuntur.

§. 18. Parantur vulgo ex radice ari, pyrethri, allii, ceparum, raphani orbicularis et rusticani, herba nasturtii hortensis, lepidii sive nasturtii agrestis, saturejæ, flammula jovis, semine sinapios et staphidis agriæ, pipere, caryophyllis aromaticis, gummi euphorbio, sagapeno, pulvere cantharidum aliisque subjectis acribus, quæ, conquassata prius aut tenerius contrita, cum aceto aut fermento panifico ad cataplasmatis, vel etiam cum emplastro de meliloto, (quod tamen de euphorbio saltim, gummi sagapeno et pulvere piperis atque cantharidum valet) ad emplastri consistentiam rediguntur. Species rubefacientium sic dicti *Sinapismi* ac *Dropacismi* sunt, qui posteriores etiam *Dropaces* et *Picationes* audiunt. Sinapismi ex pulvere seminis sinapios, sale culinari et fermento panifico, quibus subinde tamen pauxillum aceti acrioris, aus succi armoraciæ recentis miscetur, componuntur; dropaces autem vel ex sola pice, oleo liquata, constant, vel ex oleoso-picea hac massa et pulvere radicis pyrethri ac piperis, bitumine Iudaico, terebinthina et gummi euphorbio præparantur.

§. 19. Cum rubefacientibus *Vesicantia* seu *Vesicatoria* quoad naturam et operandi modum conveniunt, multo majori tamen, quam illa, efficacitate gaudent, nec solum ideo ruborem ac dolorem in parte, cui adplicantur, sed simul quoque vesicam, lympha turgidam, excitant. Nostro ævo præcipua emplastrorum vesicantium ingredientia pulvis cantharidum et fermentum panificum acerrimum constituunt, hisce tamen utplurimum etiam,

ſicuti ex vulgaribus Diſpenſatoriorum formulis patet, pulpa radicis ſcillæ recentis, acetum ſcilliticum, camphora, in ſpiritu vini rectificato ſoluta, nec minus pulvis maſtichis, myrrhæ, terebinthina et cera flava adduntur; quorum alia irritandi facultatem augent, alia inducendæ tenaciori conſiſtentiæ emplaſticæ inſerviunt.

§. 20. Plerumque emplaſtra veſicantia, excitandi, aut evacuandi, aut revellendi aut derivandi ſcopo, cruribus, ſuris, femoribus, brachiis, dorſo ac nuchæ, et ſubinde etiam occipiti pone aures et alibi, nec non ſcapulis, pectori, coxis, malleolis pedum, aliisque corporis partibus adplicantur; unde uſus quoque eorum latiſſime patet, et crebro in morbis graviſſimis aut valde tamen refractariis, in apoplexia v. g., præſertim ſeroſo-pituitoſa, comate ſomnolento, lethargo, vertigine, epilepſia, hemicrania, cephalæa, melancholia, mania, lapſu memoriæ, obauditione ac ſurditate, ſuſurro aurium, amavroſi, nyctalopia, hemeralopia, cataracta incipiente, hydrophthalmia, epiphora ac lippitudine oculorum humida, anchilope, ægilope, fiſtula lachrymali, ozæna, odontalgia et otalgia catarrhali atque rheumatica, angina ſpuria contumaciori, defluxione humoris acrioris ad pectus, convulſione cereali, paralyſi membrorum, doloribus rheumaticis, malo iſchiadico cæterisque adfectibus arthriticis &c. commendandus venit. Laudem quoque ſummam hæc remedia in febribus peſtilentialibus aliisque malignis merentur, immo in deterioribus febribus exanthematicis, in quibus exanthemata, ob naturæ imbecillitatem magnamque materiæ eliminandæ virulentiam aut viſcoſitatem, mature expelli nequeunt, vel rurſus poſt eruptionem ad interiora retroacta fuerunt, cunctis propemodum aliis medicorum auxiliis præferenda ſunt. Poſſem ſane multos, eosque celebres, nec ratione tantum, ſed ipſa pariter experientia iterata ſatis convictos, hujus veritatis te-

ſtes

ſtes adducere; attamen, ne juſto prolixior ſim, BAGLIVVM duntaxat et ABRAHAMVM VATERVM hac vice nominabo. Hic nempe anno 1742. Vitebergæ Diſſertationem *de Veſicatoriorum ad domandas febres malignas virtute et efficacia* in lucem emiſit, in qua argumentum hoc docte atque uberrime pertractatum fuit; ille, poſt plura alia, attenta etiam conſideratione digniſſima, ita de uſu veſicantium loquitur *a*): „Morbi in quibus præ cæteris „convenire poſſunt Veſicatoria, ſunt malignæ febres, ex „coagulo et viſciditate humorum, affectus ſoporoſi, ca„tarrhi, a viſcida materia pendentes, et eruptionem mi„nantes in pulmones, vel aliam nobiliorem partem, aut „in nares, oculos, fauces, pectus &c., dolores fixi et „acriter divellentes partem aliquam, morbi cutanei non„nulli et dolores, hinc inde vagantes, convulſiones ſine „febre, epilepſiæ, aliique hujusmodi nervorum morbi, „demum in omnibus aliis, in quibus neceſſe eſt, ſolvere, „divellere, derivare, excitare, et ſimilia agere, pro „morbi genio et Practicantis experientia &c.

§. 21. De *Urticationibus*, quæ potentiæ intuitu medium locum inter rubefacientia et veſicatoria obtinent, multa prædictis adjungere nolo, quoniam ſubinde tantum in adfectibus partium externarum paralyticis, ad calorem, motum, ſenſumque revocandum, vel etiam, quanquam adhuc rarius, in torpore venereo, quem, apud ſequioris potiſſimum ſexus ſubjecta, teſte obſervatione, nonnunquam, ſi lumbi nimirum denudati urticis percutiantur *b*), tollunt, in uſum trahuntur. Dolor cæteroquin punctorio ac pruriginoſo-ardens, qui protinus ſub verberatione ſentitur, et poſtea etiam, exortis nimirum tuberculis, aliquandiu perdurat, partim a minutis aciculis piloſis, quibus urticæ urentis folia in ſuperficie ſua arma-

ta

a) *Tr. de Uſu et Abuſu Veſicantium Cap. 4.*

b) Conf. FRANCI de FRANCKENAV *Tract. ſingul. de urtica urente.*

ta cernuntur, partim a cauftico quodam liquore, ex globulis exiliffimis, aciculis memoratis in fummitate adhaerentibus, et fub violento earum introitu in cutem compreffis atque difruptis, emanante, derivandus eft.

FRICTIONES.

§. 22. Frictiones, quæ olim inter præftantiora ægritudinum remedia relatæ fuerunt, nec hodienum quoque multiplici utilitate fua deftitutæ inveniuntur, pro diverfa partis fricandæ teneritudine, et diverfo imprimis morbi ac promovendæ quiefcentis materiæ genio, modo cum fcopulis, ex fetis tenerioribus ac mollioribus confectis, modo cum complicatis, calefactis, mollibusque pannis lineis, modo cum pannis laneis afperioribus, immo interdum cum folis digitis manibusque peraguntur. In cafibus nonnullis longe majus auxilium a remediis hifce incitantibus exfpectandum eft, et valde inprimis virtus eorum difcutiens intendi poteft, quando prædicta frictionis inftrumenta, fcopulis fetaceis exceptis, fpiritu quodam balfamico aut urinofo, fpiritu v.g. falis ammoniaci vinofo, liliorum convallium, lavendulæ, rorismarini, vini camphorato et crocato, aqua cephalica imp., anhaltina, apoplectica, virtutum, balfamo vitæ &c, leviter humectantur, vel linteamina etiam et panni lanei ante frictionem fumigationis ope, aut temporaria camphoræ, croci, caryophyllorum caftorei, mofchi &c., involutione, halitu activo nonnihil impraegnantur: Nec reticendum quoque erit, linimenta et unguenta nervina et difcutientia, poft frictionem demum adhibita, potentiorem exercere operationem, quoniam poros, frictu prægreffo magis apertos, liberius ac copia majori intrant, altiusque poftmodum ac latius per vafcula cutis et partium fubjectarum diffunduntur.

§. 23. Egregie auxiliis hifce, ficuti unusquisque confeftim et absque uberiori demonftratione cognofcere

ſcere poteſt, impactus ſanguis viſcidus et ſubſiſtentes aut juſto languidius circulantes humores reliqui per vaſcula minora minutiſſimaque cutanea et ſubcutanea promoventur, contractionum atque oſcillationum vigor reſuſcitatur, et ſufflaminata perſpirationis cutaneæ libertas reducitur atque augetur. Unde ratio etiam manifeſta evadit, cur moderatæ et cum judicio diſcretivo adhibitæ frictiones in adfectibus paralyticis, rheumaticis, arthriticis, oedematoſis, convulſionibus, tumoribus frigidis, pluribusque morbis, ex humorum viſcidorum ſtaſi ac lentiori progreſſu, vel a contumaci etiam materiae acris ad- et inhæſione potiſſimum oriundis, haud contemnendam perſæpe opem ferant, et cur revocando pariter ſudori, ſubito nonnunquam et intempeſtive in febribus aliisque morbis ſupreſſo, egregie inſerviant.

ELECTRICITAS.

§. 24. Decantata ubivis ac noſtro demum ſeculo clarius detecta Electricitas pro meo judicio primum locum, ſi vim atque potentiam ſpectes, inter motuum incitamenta externa non occupare ſolum, ſed facile etiam tueri poteſt. Subtiliſſima enim, mobiliſſima, ac ſumme activa materia electrica, frictionis ope in motum redacta ac poſtmodum ex globo aut cylindro vitreo expulſa, corpora humana, quæ partem ejus contactu mediato aut immediato receperunt, ſtupenda prorſus celeritate, et fulminis quaſi inſtar, pervadit, ac motus plane mirandos, motibusque convulſivis ſimillimos, in illis, maxime autem in ſyſtemate nervoſo, excitat. Doctiſſimus quondum RICHARDVS MEAD materiam hanc fluido noſtro nerveo valde analogam exiſtere, non absque magnæ veriſimilitudinis ſpecie credidit: „Hoc fluidum *(ſcilicet ner„veum)*, *ſic ipſiſſima ejus verba ſonant a)*, quantum ex ef-

D fectibus

a) In Oper. med. T. II. p. m. 9. ſeq.

„fectibus intelligere datur, liquor eſt rarus, volatilis,
„magna vi et elaſticitate prædítus, maximeque probabile
„eſt, eſſe portionem *univerſalis iſtius materiæ elaſticæ*,
„coalitamque cum ſubtilibus ſanguinis partibus in cerebro
„ſecerni, fibrillis nerveis infundi. Hoc eſt inſtrumentum
„ſenſus motusque muſcularis, hæc magna motrix cauſſa
„ſecretionum, omniumque omnino functionum, quibus
„oeconomia animalis componitur. Uniuerſalem autem
„elaſticam materiam dico illud ſubtile, agile, et per uni-
„verſum diffuſum corpus, quod magnus noſter Philoſo-
„phus *Iſaacus Newtonus* credit eſſe cauſſam refractionis re-
„flexionisque radiorum lucis, cujus vibrationibus calo-
„rem corporibus lux infundat, quodque omnia facile per-
„reptans corpora, cauſſa ſit plerarumque actionum, quæ
„ipſis in ſe mutuo ſunt. - - - Aequum valde videtur,
„cum maxime uniformes ſint leges naturæ, colligere, eſſe
„ſpiritus animales tale aliquid, quod dixi; illud enim
„opinioni alicui favorem demum conciliat intelligentium,
„ſi vident eſſe, et congruere noto mundi ſyſtemati. - - -
„Qui expenderit phænomena, quæ orbi exhibuerunt fa-
„cta nuperis annis de electricitate experimenta, et con-
„ſpexerit, quomodo ſubtiliſſime electricorum corporum
„particulæ attrahant ſe mutuo repellantve, formare ſibi
„aliquam poterit ideam maximarum virium et velocitatis,
„quæ animali huic fluido in agendo ſunt. Memorabile
„eſt, magis per animalium corpora, quam inaminata ele-
„ctricitatem communicari. Nempe tranſiens per iſta ela-
„ſticum fluidum majorem, quam in altero corporum ge-
„nere, invenit ejusdem materiæ copiam, cum animalium
„ſolidæ fibræ aptiores recipiendæ ſunt. &c.

§. 25. Initio eruditorum quamplurimi eximium hoc inventum phyſicum, electricitatem nempe, ad explicanda tantum et illuſtranda alia phaenomena naturalia adhibuerunt, deinde medicorum ſolertiores iſtud ad ſuum

pariter

pariter forum transferre, et laudabili omnino conamine contra varios morbos refractarios, a relaxatione, atonia, motu torpido ac contumaci nervorum obstructione potissimum oriundos, in usum trahere coeperunt. Eventus rationales conjecturas egregie confirmavit, et numerosissima successive fausti successus exempla ab illo tempore in publicis scriptis relata fuerunt. Celeberrimus enim Dominus IO. GVIL. BAVMERVS, ut nonnulla saltim specialiora adducam, iterato applicata vi electrica paralyticum palpebrarum lapsum, vulgo *Atonia ton blepheron* dictum, feliciter sanavit *a*): Dominus Professor STROEMERVS, *b)* et IOANNES LINDHVLT, *c)* Medicinæ Doctor, uterque Suecus, nec minus Dn. IO. IOSEPHVS VERATTI, Professor Bononiensis *d)*, Dn. IO. GOTTLIEB SCHAEFFERVS, Medicinæ Doctor et Practicus Ratisbonensis *e)*, et plures alii, quorum nomina et scripta brevitatis caussa indicare nolo, eodem auxilio inveteratas paralyses et contracturas contumacissimas, nec non dolores arthriticos, frigidosque rheumaticos, hemicraniam, surditatem, dysecoiam, susurrum aurium, lippitudinem inflammotorio-serosam, tumores articulationum &c, sustulerunt. Nec ullum dubium est, quin fausta quoque medela a potenti hoc motuum incitamento in multis adhuc aliis ægritudinum speciebus exspectanda sit, dummodo rite ac circumspecte adhibeatur, seduloque inprimis caveatur, ne apud subjecta admodum tenera atque debilia, nec etiam in morbis, qui nimium pridem motuum augmentum in solidis ac fluidis, aut exulcerationes viscerum, aut fluidi nervei penuriam magnamque jacturam

D 2 caussas

a) *Acta Academiæ Elect. Moguntinæ Scient. utilium T. I. p. 286.*

b) *Comment. Acad. Regiæ Suec. vers. germ. T. XIV. p. 119.*

c) *Ibid. p. 312.*

d) *Observationes Physico-Medicales sur l'Electricité &c. A Geneve 1750.*

e) Vid. Tract. ejus, cui Titulus: *Die Kraft und Würkung der Electricität in den menschlichen Cörper und dessen Kranckheiten besonders bey gelähmten Gliedern &c. Regensburg 1752.*

caussas proximas atque præcipuas agnoscunt, in usum vocetur, quoniam facile inprimis timendum est, ne partes solidæ teneriorés, antea valde dudum in cohæsione sua et textura læsæ, vehementi ejusmodi motu magis lædantur, quin plane nonnunquam dilacerentur.

PVLVERES ET SPIRITVS CEPHALICI.

§. 26. Pulveres cephalici ordinario ex rad. iridis Florent., cyperi utriusque, floribus lavendulæ, rorismarini, rasura ligni Rhodini, santali flavi, caryophyllis aromaticis et succino, nunc subtilius, nunc saltim grossiuscule contusis, Spiritus autem ejusdem cognominis ex aqua cephalica imp., apoplectica, anhaltina, mastichina, spiritu liliorum convallium, rorismarini, lavendulæ, salis ammoniaci vinosi, et balsamo vitæ componuntur, et hi vertici capitis ad guttas 10. 15. 20. instillantur, atque temporibus etiam, præsertim circa suturas squamosas, illinuntur, illi autem capillis insperguntur, ut motus partium solidarum ac fluidarum in communibus calvariæ integumentis, duræ itemque meningis et ipsius cerebri, sub applicatione non minus atque contactu molecularum externo, sed post volatilium quoque ac mobilissimorum corpusculorum introitum profundiorem per venas bibulas, adeoque actione tam immediata, quam mediata sive consensuali, rursum vegetiores reddant, ac plus minusve ad referandas canalium obstructiones conferant, quin majus pariter robur nervis atque membranis largiantur.

§. 27. Usus horum medicaminum, præsertim spirituum, in morbis capitis amplior est, quam primo intuitu videtur, ac sæpe sæpius in hemicrania, cephalæa et cephalalgia catarrhali atque frigida rheumatica, nec minus in gravedine, coryza justo diuturniori, vertigine, apoplexia et adfectibus soporosis seroso-pituitosis, in epilepsia idiopathica, melancholia, memoriæ imbecillitate, tinni-

tu

tu et susurro aurium, surditate, amavrosi, incipiente cataracta &c. satis eximius reperitur. Notari tamen oportet, apud subjecta plethorica incitamenta hæc, præsertim admodum volatilia spirituosa, nunquam, nisi abundante sanguine prius per venæsectionem detracto, et ejusdem quoque orgasmo, si adsit, per temperantia interna sedato, adhibenda esse, quoniam, neglecta hac cautela, plerumque singularem quendam motum pulsatilem in capite excitant, et præsentes ideo turbas in cerebro augent.

ERRHINA PTARMICA ET ODORAMENTA POTENTIORA.

§. 28. Errhina et Ptarmica sunt medicamenta, utplurimum sicca pulverulenta, quæ naribus attracta, leniori aut fortiori stimulo suo, ad puncturæ et morsicationis sensum revocando, nerveisque tunicæ pituitariæ filamentis illato, efficiunt, ut mucus, cum, vel sine sternutatione, largius per glandularum emissaria exprimatur, ac vegetior simul motus in partibus solidis et fluidis narium et cerebri vicini, quin, sternutatione superveniente, in toto propemodum corpore suscitetur. Non differunt cæteroquin errhina et ptarmica natura ac generali operandi modo, sed solo duntaxat activitatis gradu; unde sæpe quoque sæpius fieri solet, ut errhina, etiam leniora, apud subjecta sensibiliora, præsertim si paullo majori copia in nares immittantur, ptarmica sive sternutatoria, et hæc vice versa apud subjecta minus sensibilia, aut crebriori vulgaris pulveris sternutatorii attractioni diutius pridem adsueta, aut subinde tenaciori tantum muco cavitati narium inhærente, errhina evadant.

§. 29. Ad notiora et ideo cæteris pariter usitatiora errhina atque ptarmica radix ellebori albi, iridis Florentinæ, herba Nicotiana, majoranæ, flores liliorum con-

vallium, et lavendulæ referuntur; poſſunt tamen pulveribus hujus cenſus commode etiam ſacharum Canarienſe, herba rorismarini, thymi, mari veri, ſaturejæ, extractum exſiccatum ligni guajaci aquoſum, et ſubinde quoque, quanquam parva admodum quantitate, flores benzoini ac gummi euphorbium, nec minus ſimplicia quædam cathartica, radix v. g. ipecacaoanhæ, jalappæ, mechoacannæ albæ, et folia ſennæ, ut et, roborandi ſcopo, caſtoreum et olea deſtillata ætherea thymi, majoranæ, lavendulæ, rorismarini &c. admiſceri: Immo, ſi nonnunquam errhina liquida placuerint, aqua deſtillata majoranæ, tum ſolitaria, tum ſpiritus aut florum ſalis ammoniaci, vel albi vitrioli pauxillo remixta, præ aliis ſeſe virtute ſua commendat.

§. 30. Quemadmodum acria varia præcipua pulverum ptarmicorum et errhinorum ingredientia conſtituunt, ſic Salia volatilia urinoſa et urinoſo-oleoſo-inflammabilia, tam ſicca, quam liquida, primum ſibi locum inter Odoramenta potentiora vindicant. Ad mere urinoſa ſpiritus ſalis ammoniaci aquoſus, cornu cervi, eboris, cranii humani, ungulæ alcis, ſanguinis, ſerici &c., nec non ſingula ejusdem originis atque cognominis ſalia ſicca volatilia ſpectant; ad componenda poſteriora autem, præter ſpiritus et ſalia ſicca urinoſæ indolis, etiam ſpiritus inflammabiles, et ſpecies aromaticæ atque balſamicæ, vel etiam harum loco olea deſtillata ætherea cephalica atque nervina, oleum v. g. lavendulæ, rorismarini, majoranæ, thymi, ligni Rhodini, caryophyllorum, citri Italici &c. recipiuntur; quemadmodum hæc omnia adcuratius atque uberius ex Materia medica et Chemia cognoſcenda ſunt.

§. 31. Incitamenta motuum recenſita perſæpe auxilium non contemnendum in olfactu imminuto atque deper-

deperdito, in gravedine, animi deliquiis, vertigine, apoplexia, sopore præternaturali, cephalalgia rheumatico-catarrhali, immo subinde etiam in melancholia, epilepsia, imminutione memoriæ et pluribus aliis capitis morbis ferunt; non indiscriminatim tamen, nec justo etiam crebrius ac copiosius, sed circumspecte, modice et in illis tantum prædictarum similiumque ægritudinum speciebus adhibenda sunt, quæ a relaxatione nimia fibrarum cerebri, meningum, ac tunicæ pituitariæ, et frigidi, crassi, mucidique humoris seroso-lymphatici decubitu et refractaria in vasculis quiete proxime atque præcipue oriuntur. Præsente enim cruoris in cerebro abundantia aut orgastica expansione, vel liberiori etiam ejusdem per vasa circuitu atque regressu impedito, emolumenti loco facile illa corpori detrimentum adferunt, et funestis nonnunquam vasculorum rupturis, præsertim si fortem simul sternutationem, adeoque fortem quoque cerebri concussionem producant, occasionem præbent: Ut nihil de motus tonici in tunica pituitaria inversione dicam, quæ interdum accidit, quando coryza imminente pulveres acriores nimia copia in nares immittuntur, vel fibræ etiam largiori ac crebriori particularum volatilium receptione plus justo irritantur.

MASTICATORIA ET GARGARISMATA.

§. 32. Masticatoria, quoad primum atque præcipuum effectum suum considerata, medicamenta sistunt, quæ tunicam oris ac glandulas salivales vivide stimulant, et salivam copiosiorem eliciunt; hinc utplurimum quoque *Salivantia* aut *Sialagoga* vocantur, et æque pariter, ac errhina atque ptarmica, *Apoplegmatismis* accensentur. Intuitu naturæ suæ duplicis generis sunt, acria nimirum et mitiora ac fortiora aromatica. Ad priora radix pyrethri, pimpinellæ albæ, ari, folia et fructus immaturi ac juniores

carda-

cardamindi, semen sinapios &c. spectant, posterioribus autem radix imperatoriæ, angelicæ, serpentariæ Virginianæ, folia recentia mari veri, saturejæ, dracunculi esculenti, cortex citri et aurantiorum, semen foeniculi Rom., cubebæ, piper rotundum nigrum et album, grana paradisi, cardamomum minus, caryophylli aromatici, piper Jamaicense, macis &c. adnumerantur.

§. 33. Stimulantibus masticatoriis hoc loco commode etiam *Collutiones* et *Gargarismata*, ex rad. pimpinellæ albæ, pyrethri, imperatoriæ, levistici, herba salviæ, hyssopi, floribus thymi, rorismarini, ligno guajaco, cubebis, sale ammoniaco, nitro depurato, sale gemmæ &c. coctionis beneficio cum aqua paranda, adjungi merentur, quoniam, æque, ac illa, acribus suis particulis glandulas salivales fibrasque faucium, linguæ et totius oris vellicant, justamque hoc stimulo earum tensionem motumque naturalem reducunt, atque augent, et melius præterea viscidos humores lymphaticos attenuant atque abstergunt. Notari quoque oportet, majorem ab iis utilitatem exspectandam esse, si, insigniori fibrarum laxitate præsente, ingredientibus recensitis austera quædam adstringentia, folia v. g. rosarum rubr., cortices granatorum, terra Iaponica &c., modica quantitate addantur.

§. 34. Frequentius quidem et cum majori effectu masticatoria non minus, quam collutiones ac gargarismata descripta contra tumores frigidos glandularum salivalium et mucilaginearum, anginam spuriam, raucedinem, decidentiam columellæ, paralysin linguæ, gustum deperditum, odontalgiam frigidam rheumatico-catarrhalem similesque oris ac faucium morbos, a decubitu ac stasi lymphæ mucidæ et eminentiori fibrarum laxitate præcipue oriundos, in usum vocantur, masticatoria nihilominus persæpe etiam in morbis quibusdam cerebri,

oculo-

oculorum, aurium, et ventriculi, in coryza v.g. nimis diuturna, cephalalgia atque vertigine rheumatico-catarrhali, hydrocephalo interno, ophthalmia humida ſeroſa, obauditione, ſuſurro aurium, appetentia imminuta, dyſpepſia &c proficua reperiuntur.

CLYSMATA ET SVPPOSITORIA ACRIA.

§. 35. *Clyſmata*, *Clyſteres*, *Enemata*, *Lavamenta*, medicamenta liquida, ſeu, uno verbo, decocta ſunt, quæ tepida, eluendi et abſtergendi, vel emolliendi, relaxandi, ac demulcendi, vel diſcutiendi aut ſtimulandi ſcopo, in inteſtina craſſa injiciuntur. Species priores a præſenti tractatione prorſus alienæ ſunt, et poſtremæ tantum, quæ ob acredinem ſuam fibris tunicarum inteſtinalium ſenſibilibus atque irritabilibus vividos ſtimulos inprimere, iisque mediantibus vegetiorem rurſus motum periſtalticum, immo conſenſualiter quoque in partibus vicinis ac remotioribus contractionem validiorem excitare valent, huc ſpectant. Parantur autem irritantia hæc enemata coctionis beneficio ex aqua ſimplici et ſpeciebus acribus atque aromaticis, ex radice ſaponariæ v. g., pimpinellæ albæ, ſcillæ, imperatoriæ, foliis ſennæ, ſacculo ſub coctione incluſis, herba rorismarini, hyſſopi, herba ac floribus thymi, flor. chamomillæ Rom., millefolii, lavendulæ, ſem. carvi, nigellæ Rom., baccis lauri atque ſimilibus, et quo acredo eorum irritandique facultas magis poſtmodum augeantur, liquoris parti, in inteſtina immittendæ, ſal gemmæ, culinare, ammoniacum, nitrum, electuarium catholicum, benedictæ laxativæ, hieræ picræ cum agarico &c. paullo largiori quantitate adduntur. Nonnulli interdum etiam urinam hominis ſani miſcent, at commode nos additamento hoc carere poſſumus, quoniam ſal ammoniacum idem, quod urina, præſtat.

§. 36. Usus enematum stimulantium non tam late quidem, quam usus clysterum emollientium et antispasmodicorum, extenditur, cum eximio nihilominus effectu nonnunquam illa in tympanite intestinali, segnitie et obstructione alvi, suppressione fluxus menstrui et lochialis, in ischuria porro et dysuria, ab eminentiori vesicæ urinariæ atonia torpidaque contractione potissimum pendentibus, immo, incitandi pariter fine, in retentione placentæ uterinæ post foetus exclusionem, nec minus in apoplexia pituitosa et ejusdem quoque originis adfectibus soporosis adhibentur.

§ 37. Suppositoria, alias etiam *Pessi*, *Pessuli*, *Pessaria* dicta, ordinario coni detruncati, obtusiori apice præditi, aut turundæ longioris formam obtinent, ac vulgo respectu partis, cui adplicantur, in *alvina* et *uterina* dividuntur. Hæc, quæ cum prudentia tamen, rarius, et subinde tantum apud feminas conjugatas ad fluxum menstruum ciendum, aut retentam uteri placentam evocandam, foetusque mortui exclusionem promovendam suadenda sunt, utplurimum ex gummi galbano, aut ladano, aut styrace liquido, quibus myrrha, semen nigellæ Rom., pulvis foliorum salviæ aut sabinæ, castoreum, moschus, zibethum &c. minori quidem, ast sufficienti tamen ad consistentiam quantitate, addi debent, componuntur; illa autem, ex saponis albi segmento, in turundæ longioris figuram aptato et sale gemmæ aut culinari, sale ammoniaco, aut nitro pulverisato nonnihil consperso, vel etiam ex melle, ad spissitudinem cocto, et pulvere salis gemmæ, radicis ellebori nigri, iridis Florentinæ, cyclaminis, speciebus hieræ picræ &c. parantur, ac sæpe sæpius, ante intrusionem tamen oleo buniadis, lini, olivarum, amygdalarum dulcium, aut butyro liquefacto paullulum oblita, in segnitie et obstructione alvi, nec minus post applicatorum clysterum remanentiam moramque justo diuturniorem,

ram in inteſtinis, vel ſubinde pariter ad fluxum menſtruum ac lochialem proritandum, aut placentam uteri foetumque mortuum, quin vivum, ſi neceſſarii ad partum dolores defecerint, expellendum, in uſum trahuntur.

BALNEA AQVAE SIMPLICIS FRIGIDA.

§. 38. Balnea aquæ ſimplicis frigida antiquioribus temporibus, ſicuti ex veterum quorundam hiſtoricorum ac medicorum ſcriptis elucefcit, ab Aegypti, Græciæ, Arabiæ felicis, Italiæ, pluriumque regionum orientalium et occidentalium gentibus inquilinis crebro ac longe ſæpius, quam thermæ naturales et balnea aquæ dulcis calida, uſurpata fuerunt, deinde vero, creſcente hominum mollitie et voluptatis cupidine, magis paullatim magisque in deſvetudinem abierunt, donec iſta præſente, quo vivimus, ſæculo medicorum multi in Anglia, et nonnulli pariter in Italia, Gallia et Germania noſtra ad uſum frequentiorem revocare allaboraverint. Laudanda omnino horum virorum conamina ſunt, laudemque etiam balnea aquæ ſimplicis frigida jure merentur, quoniam ſeſe multiplici utilitate ſua, validaque auxiliandi facultate in morbis multis ac variis valde commendant, et ægritudinibus ſimul avertendis, ſi in utroque nimirum caſu rite et opportune adhibeantur, egregie inſerviunt. Aqua enim frigida univerſam corporis ſuperficiem, ob eminentiorem gravitatem ſuam, magis premit ac comprimit, nec fibras, ut aqua calida, relaxat, ſed promte potius ac valide, conſtringit, et texturæ intuitu compactiores reddit, adeoque tunicas pariter canalium cæterasque partes ſolidas, e fibris flexilibus contextas, egregie roborat, et tenſionis, oſcillationis ac contractionis vigorem tantopere intendit, ut ſanguinem et quoscunque alios humores, ſi juſto lentius progrediantur, aut penitus in vaſculis ſuis quieſcant et contumaces horum oppilationes efficiant, aucta preſſione, aucto pulſu, diſſolvere rurſus, attenuare, vegetius pro-

propellere, obſtructiones reſerare, ac poſtea plus quoque minusve ad meliorem ſe-et excretionum ſucceſſum conferre valeant. Accidit quidem ſub uſu horum balneorum ſanguinis et totius corporis refrigeratio aliqua, at ſentientem hæc ipſa reficit, et in morbis quibusdam utilis ac neceſſaria reperitur, nec diu etiam perdurat, ſed calor naturalis, paullo poſt, ob velociorem ſanguinis circuitum fortioremque globulorum affrictum, magis rurſum increſcens, per corpus univerſum æquabilius atque vividius diffunditur, et exhalatio pariter cutanea, præcedente frigoris actione nonnihil imminuta, iterum largior evadit.

§. 39. Propter laudatam incitandi ac roborandi virtutem balnea hæc, ſicuti IO. SIGMVNDVS HAHN *a)*, IO. FLOYERVS *b)*, ANTONIVS COCCHI, Italus *c)*, pluresve alii commentatione uberiori, fauſti ſucceſſus exemplis paſſim corroborata atque ſuffulta, evictum dederunt, non tantum inter præſtantiora præmaturæ imbecillitatis, hydrophobiæ et variarum ægritudinum aliarum prophylactica militant, ſed ſubinde etiam in contabeſcentia corporis incipiente, rheumatiſmis calidis, rhachitide, coryza juſto diuturniori, epilepſia, melancholia, rabie canina, mania, aliisque inſaniæ ſpeciebus auxilium haud ſpernendum afferunt, immo, ſi viſcera adhuc integritate fruantur, in pluribus morbis, ex ſyſtematis nervoſi-debilitate potiſſimum derivandis, cum magno ægrotantium emolumento adhiberi poſſunt. De ſpeciali uſurpandi modo multa hac vice, ob temporis limitumque præfixorum anguſtiam, addere nequeo, ſed ſciendi cupidos ad ſcripta allegata amandare, et præſenti opuſculo inaugurali finem imponere cogor.

a) *Unterricht von der Kraft und Würkung des friſchen Waſſers in die Leiber der Menſchen.* b) *Pſychroluſia oder Verſuch zu beweiſen, daſs kaltes Baden geſund und nützlich ſey.* c) *Allgemeines Magazin P. IV. p. 241.*